

næ assertorem, strenuumque propugnato-rem semper pro viribus futurum simili juramento profiteatur. Quod si quis ex nostris, quod absit, ad hostes Virginis transfuga, contrariæ assertionis, quam falsam, impiam et erroneam judicamus, spreta non nostra tantum, sed Synodi et Ecclesiæ, quæ procul dubio summa est, auctoritate, patrocinium quacumque ratione suscipere ausus fuerit, hunc honoribus nostris omnibus privatum atque exauctoratum a nobis, et a consortio nostro, velut ethnicum et publicanum procul abjiciendum decernimus.»

(28. Pari laude ac summo zelo pro veritate Immaculatæ Conceptionis decertarunt Academia Coloniensis, Moguntina, Complutensis, Toletana, Tarraconensis, Hispalensis. Ordines pariter Religiosi (quamvis non omnes) summam adepti sunt laudem, et præ cæteris Fratres Ordinis S. Francisci.

(29. De Festo Conceptionis ejusque antiquitate aliquid innuere visum est. In Græca Ecclesia Sæculo VII. quo floruit S. Andreas Cretensis, hoc Festum celebratum fuisse constat ex Canone pro Ecclesiasticis Officiis ejusdem Sancti, sub hoc titulo: *Die nona Decembris Conceptio Sanctæ ac Dei Avia, Annæ*. Conceptio videlicet activa S. Annæ, ut patet ex his verbis: «Tuam hodie, Religiosa Anna, celebramus Conceptionem, quod absoluta sterilitatis vinculis eam utero conceperis, quæ eum potuit capere, qui nusquam capi possit.» Cl. vir Edmundus Martene indicat hujusmodi Festum hoc eodem Sæculo in Hispania institutum fuisse, dum ait: «Ejus primam institutionem Hildephonso Toletano Episcopo referendam videri;» porro S. Hildephonsus obiit anno 667. Vid. *Acta Sanctor. sæculi secundi Benedictini*. Sed hæc probabiles sunt conjecturæ, non omnino firmæ. Quidam vero hoc Festum ceptum existimant in Anglia circa finem Sæculi IX. ejusque institutionis auctorem D. Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem volunt, qui hac de re Epistolam scripsit *Coepiscopis suis et omnibus B. Mariæ Mystera colentibus, de Conceptione B. Mariæ*; in qua, ut ad hujus Conceptionis Festum recolendum illos induceret, revelationem narrat, quæ hac de re Helsino, sive Elphino Abbati Monasterii Ramesiensis cœlitus facta est. At ea Epistola an Anselmi sit, a multis merito ducitur in controversiam, cum habeat multa, quæ eidem Auctori repugnant. Christian. Lupus ad *Concil. Moguntin. sub Leone IV. tom. 3*. Idem Auctor *l. c.* ostendit hujusmodi Festivatem ex Anglia in Normanniam fuisse tractatam, inde in Galliam, et ad Ecclesiam Lugdunensem, quod D. Bernardo causa fuit, celeberrimam illam scribendi Epistolam, ex qua de Immaculata Conceptione B. M. V. tota quæstio exorta est. Profecto S. Bernardi ætate, qui anno 1153. obiit, nondum in Romana Ecclesia hoc Conceptionis Festum receptum erat; ille enim Canonicos Lugdunenses acriter reprehendit, quod in suam Ecclesiam Festum induxerint inconsulta Sede Apostolica, quodque Romana Ecclesia non colebat. At in Italia jam

colebatur, et Assemani *Kalendar. tom. 5*. affirmat, Neapolitanos hanc Festivatem celebrare cœpisse, antequam in cæteras Europæ regiones induceretur; quodque in Casinensi Archicœnobio saltem ejusdem commemoratio perageretur sæculo X. pulchre ostendit Federici ex *Kalendario MS. Basilicæ Casinensis*, in opere cui titulus. «*La Immacolata Concezione della B. V. Maria comprovata a' Sentimenti dei Padri.*» Festum hoc, quo anno Romæ ceptum fuerit celebrari, determinare nullo modo possumus, sunt enim qui asserunt ætate S. Bonaventuræ, qui mortuus est anno 1274. ex ipsius 3. *sentent. dist. 3. quest. 1*: at locus ille non de festo, quod Romæ, sed alibi celebrabatur, intelligendum est. Alii autem verius non dubitant Sæculo XIV. celebritatem hanc Romæ fuisse peractam; testatur enim Alvarus Pelagius, qui obiit anno 1340. se in Liberiana Basilica, hujus Festivatis die, concionem habuisse. Quidquid tamen sit de anno, Ecclesiæ Romanæ exemplum secutæ sunt cæteræ fere omnes Ecclesiæ; at in Casinensi Monasterio ejusdem fiebat Officium ante annum 1300. ut patet ex Breviario Monastico MS. ejusdem Ecclesiæ. Federici *loc. cit.* Prima autem Officii forma, qua in celebrando Conceptionis Festo Latina Ecclesia utebatur, fuit illa, quæ Abbati Helsino cœlitus præscripta est, videlicet: «Omne Officium, quod dicitur in ejus Nativitate, dicetur in Conceptione, excepto, quod nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis.» *Epist. Encyclic. D. Anselmi*, ut eadem scilicet mente, qua Sanctam, et Immaculatam Dei Genitricis Nativitatem illa venerabatur, Sanctam et Immaculatam Conceptionem cœret. Hujusmodi Officium ex Anglia in Normanniam, Galliam, Navarram, Belgium, Germaniam, et alias provincias perductum est. Sixtus IV. vero, qui primus Apostolica auctoritate Conceptionis Festum instituit, Constitutione *Cum præcelsa*, huic Festo, ad pietatis augmentum, proprium et peculiare Officium, sicut et Missam assignavit, quibus ubique cultus et protestatio exprimitur Immaculatæ Conceptionis B. M. ejusque præservatio ab Originali Peccato. S. Pius V. autem reformaturus Breviarium Romanum, quo omnes uterentur, justis de causis Officium Conceptionis a Sixto IV. inductum, sicut et pleraque alia diversa Officia Conceptionis suppressit, ac vetustissimum illud Abbatis Helsini Officium resumendum disposuit, ac ab omnibus Ecclesiis recitari voluit.

(30. Ad Immaculatæ denique Conceptionis veritatem adstruendam, præter rationem convenientiæ, ac præcellentiæ, qua decebat Matrem, Filiam et Dei sponsam absque Originali macula concipi, præter consensum Fidelium universalem, et Ecclesiæ cultum, quam maxime facit mira apparitio illa, et propagatio Numismatis, vulgo Conceptionis dicti, cum inscriptione: *Maria absque macula Originali concepta*, anno 1830. Parisiis revelati. Innumera sunt quæ narrantur miracula patrata per intercessionem B. Mariæ

sine macula concepta, uti patet ex libris de Historia hujus Numismatis tractantibus per universum orbem divulgatis. De tota hac quæstione, plura invenies, si lubet, apud

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *De his quæ concernunt Concilium ut sic, et Concilium Generale.*

1. Concilium unde sit dictum; ad n. 2. — 5. Concilium quod Græci Synodum appellant, quantum ad nostrum propositum, sumitur pro Cœtu, seu Conventu Sacerdotum, maxime Episcoporum pro resolvendis rebus Fidei, seu aliis gravioribus Ecclesiæ negotiis a legitimo Superiore congregatorum. — 4. Concilium sic acceptum est triplex, scilicet Generale, Provinciale, et Episcopale. Et quale sit Concilium Generale. — 5. Quale Concilium Provinciale. — 6. Quale sit Concilium Episcopale, seu Synodus Diocæsana. — 7. Concilium Generale absque auctoritate Romani Pontificis celebrari non potest. — 8. Unde Concilium non dicitur, sed Conciliabulum, seu Conventiculum, quod sine auctoritate Romani Pontificis celebratur. — 9. Et hoc adeo verum est, ut etiamsi ab initio Concilium fuerit auctoritate Apostolica congregatum, tamen, si postea per Romanum Pontificem dissolutum, aut alio translatum fuerit, ex eo tempore remaneat Acephalum, et Schismaticum, nec sit amplius Concilium, sed Conciliabulum. — 10. Hinc tanquam Conventicula, et Conciliabula fuerunt semper reprobata Concilia, quæ vel non a Summo Romano Pontifice, vel non ejus auctoritate ab Imperatoribus indicta sunt. — 11. Hoc titulo reprobatum est in Synodo Romana a Gregorio II. Conciliabulum Constantinopolitanum trecentorum Episcoporum congregatum anno 750. eodem Gregorio renitente a Leone Isauro Imperatore. — 12. Eadem ratione in Concilio Romano a Stephano IV. anno 769. rescissa sunt acta Conciliabuli Constantinopolitani pseudo-septimi universalis a Constantino Copronymo Leonis filio congregati anno 754. — 13. Eadem causa in Concilio Lateranensi V. reprobatum est Conciliabulum Pisanum contra Julium II. Papam indictum anno 1511. — 14. Sic ab Engenio IV. anno 1435. fuerant cassata, irrita et annullata omnia, et singula statuta, et Decreta edita in Concilio Basileensi, postquam ab ipso fuerat ibi dissolutum, et Bononiam, inde Ferrariam, et ultimo Florentiam translatum. — 15. Affertur, et solvitur instantia; ad n. 16. — 17. Assignatur differentia inter Pontificem, et Imperatorem in convocatione Conciliorum. — 18. Ubi legitur Imperatores, sive etiam Reges Concilia indixisse, debet intelligi, quod ipsi hoc fecerint, vel mandante, vel consulente, vel exhortante ad id Romano Pontifice. — 19. Quod si aliquod ex Conciliis Generalibus reperitur convocatum ab Imperatoribus, et Regibus absque auctoritate, et consilio, et consensu Romani Pontificis, numquam poterit Œcumenicum appellari, donec ipse Romanus Pontifex ratam ex suo beneplacito, et assensu haberet illius convocationem. — 20. Et dato quod aliqua Concilia fuerint ab Imperatoribus et Regibus coacta, Romano Pontifice contradicente, et numquam assentiente: tunc illa irrita, et nulla fuerunt, immo expresse a Romanis Pontificibus cassata, et annullata. — 21. Conciliorum enim convocatio spectat ad solum Romanum Pontificem, etiamsi de ejus causa agatur. — 22. In casu Schismatis, existentibus pluribus dubiis Pontificibus, possunt Cardinales Concilium convocare, et præcipere ut Pontifices contententes Pontificatu se abdicent. Quod si fecerint, possunt eos sententia lata a Pontificatu dejicere, et alium Pontificem legitimum eligere. — 23. Et de facto ad tollendum Schisma fuit in simili casu convocatum a Cardinalibus anno 1409. Concilium Pisanum, et inibi depositis Gregorio XII.

jam laudatum Eminentissimum Lambruschini, Federici, Herminier, Plazzam, Sfondratum, Lambertinum sive Benedictum XIV. cæterosque quos supra memoravimus.

CONCILIIUM.

et Benedicto XIII. de Papatu contententibus, electus fuit legitimus Pontifex Alexander V. ad n. 24. — 25. Et quamvis non defuerint, qui dubitarent de legitimitate hujus Concilii, tamen conclusum fuit licite, et canonice Concilium in tali casu convocari, et fieri potuisse. — 26. Et legitimitas hujus Concilii, et electionis Alexandri V. aperte comprobatur, ex quo Alexander V. in Catalogo legitimorum Pontificum communiter reponatur. — 27. Ad Concilia Generalia vocandi sunt de Jure solum Episcopi, et Majores Prælati, scilicet Patriarchæ, Primates, et Archiepiscopi. — 28. Ad omnes istos spectare Jure, et officio in Conciliis Generalibus Jus suffragii decisivi, communis Catholicorum sententia est. — 29. Immo eodem suffragii decisivi Jure gaudent etiam Episcopi Titulares; et ideo etiam ipsi sunt de Jure vocandi ad Generalia Concilia. — 30. Ex privilegio autem, et consuetudine vocandi sunt ad Concilia Generalia cum suffragio decisivo Cardinales etiam non Episcopi, Abbates, et Ordinum Regularium Generales. — 31. Ad Concilia Generalia solent vocari etiam aliqui insignes Theologi, et Sacrorum Canonum Doctores, non quidem pro Suffragio decisivo, sed solummodo pro voto consultivo. — 32. Principes etiam ad Concilia Generalia solent invitari, ut per se, vel per suos Oratores intersint, tum, ut Concilium defendant, et scandala, seu novitates Novatorum compescant, tum ut testes, et conscii Decretorum Concilii, postea transgressores, et contumaces pœnis corporalibus puniant. — 33. Ipsi autem Principes, sive Imperiales, sive alia quacumque Dignitate præfulgeant; et quacumque scientia, doctrina, et Juris utriusque peritia conspicui in Conciliis Generalibus suffragium non habent. — 34. Et hoc fuit observatum in veteri Lege. — 35. Sic etiam invenimus observatum ab exordio Ecclesiæ in Concilio Apostolorum. — 36. Et de facto auctoritas decidendi dubia ad Religionem, et mores spectantia, et functio regendi Ecclesiam, non Laicis, sed solis Episcopis est demandata. — 37. Et hanc demandatam Episcopis auctoritatem, et sibi non concessam cognoverunt, et fassi sunt ipsimet Imperatores; et Constantinus Imperator in Concilio Nicæno. — 38. Item Theodosius junior in Epistola ad Ephesinum Concilium. — 39. Item Basilius Imperator in octava Synodo. — 40. Item alii Imperatores. — 41. Hoc non spectare ad Laicos, sed ad solos Episcopos clare deducitur ex Conciliis Generalibus huc usque celebratis, in quibus Decreta facta esse a solis Episcopis patet ex solis eorum subscriptionibus. — 42. In omnibus enim Conciliis reperimus solos Episcopos subscripsisse, exceptis paucis Generalibus, in quibus etiam Imperator subscripsit, sed alia forma, quam Episcopi; Episcopi enim desuper ut Judices, Imperatores consentiendo subscripserunt. — 43. Immo quibusdam etiam, paucissimis exceptis, ut Florentino, Lateranensi et Tridentino, quibus subscripserunt Abbates, et Generales Ordinum Regularium; nulli alii unquam quamvis optimi, et doctissimi, sunt admissi in Conciliis legitimis ad suffragium decisivum, et consequenter ad definitivam subscriptionem. — 44. Et per hoc supra n. 40. et seq. fuit dictum, quod solum ex privilegio, et consuetudine vocandi sunt Cardinales non Episcopi, Abbates, et Generales Ordinum Regularium ad Generalia Concilia cum suffragio decisivo, etc. — 45. Soli Romano Pontifici competit jus auctoritative præsidendi, vel per se, vel per suos Legatos in Conciliis Generalibus. — 46. Et revera in omnibus huc usque celebratis Conciliis Generalibus semper præsedidit auctoritate Romanus Pontifex, sive per se, sive per suos Legatos. —

47. Affertur, et solvitur instantia. — 48. Ad facilitatem intelligentiam notandum est, quod alia est præsidentia auctoritativa, et alia est præsidentia honoraria. Præsidentia auctoritativa, quæ sit. — 49. Hæc præsidentia auctoritativa competit Romano Pontifici per proprietatem, quam suis Legatis communicat, ut eisdem Conciliis, ipso absente, præsint, semper tamen cum subordinatione ad ipsum, ad quam spectat res ultimo decidere, et definire. — 50. Præsidentia honoraria quæ sit. — 51. Hæc præsidentia Imperatores nonnullis Conciliis Generalibus in Oriente celebratis præsederunt; cum ad ipsa nunquam interfuerint Summi Pontifices per se ipsos; ad n. 52. — 53. Quibus tamen nunquam fuisset permissum sedere in loco eminentiori, et digniori, quam Summus Pontifex, si ipse personaliter interfuisset. — 54. Ut patet in Concilio Florentino in initio, ubi nullatenus fuit permissum, sicuti Græci prætendebant, ut in summo loco sederet eorum Imperator, et Summus Pontifex præcederet. — 55. Soli etiam Romano Pontifici competit jus auctoritative confirmandi Concilia Generalia, et absque illius confirmatione decreta in illis robur non habent. — 56. Et de facto est praxis Patrum Conciliorum, petere semper a Romano Pontifice confirmationem eorum quæ in Concilio statuerunt; ad n. 58. — 59. Affertur, et solvitur instantia; ad n. 60. — 61. Ad hoc juvat notare, quod triplex est confirmatio. Prima est confirmatio testificativa, et quæ sit. — 62. Secunda est confirmatio receptiva, aut executiva; et quæ sit. — 63. Tertia est Confirmatio auctoritativa; et quæ sit. — 64. Hinc prima, et secunda confirmatio potest fieri etiam ab Imperatoribus, Regibus, aliisque supremis Principibus. Tertia autem a solo Romano Pontifice fieri potest private quoad omnes. — 65. Affertur ad rem egregium dictum Cardinalis Cusani. — 66. Definitiones Universalis Concilii etiam legitime congregati editæ, absente Romano Pontifice, non sunt infallibiles sine ipsius Papæ Confirmatione. — 67. Unde infallibilitatem in definiendo dedit Christus solum Petro et successoribus ejus. — 68. Non autem Concilio, quod potest errare, prout de facto alias erravit. — 69. Affertur et solvitur instantia; ad n. 71. — 72. Concilia Generalia a Rom. Pontifici confirmata sunt infallibilis veritatis, et errare non possunt, nec in Fide, nec in moribus. — 73. Hinc Concilia Generalia a Summis Pontificibus approbata, seu confirmata habentur ab Ecclesia tamquam norma Ecclesiastica veritatis. — 74. Concilia Generalia ab Ecclesia totaliter approbata sunt decem et octo; et enumerantur; ad n. 75. — 76. Concilium Generale non est supra Papam; sed Papa est supra Generale Concilium. — 77. Hoc etiam ipsa Generalia Concilia sepe sæpius declarantur; ad n. 78. — 79. Insuper Concilia ipsa dupliciter agnoverunt se inferiora esse Romano Pontifici; ad n. 81. — 82. A sententia Concilii Generalis potest appellari ad Papam tamquam ad Superiorem, sed non e converso. — 83. Immo appellantes a Romano Pontifice ad futurum Concilium, eorumque consilium et fautores pœnis Excommunicationis, criminisque læsæ Majestatis Divinae, et humanæ subiciuntur, et decernuntur veri, et indubitati schismatici, et de Catholica Fide male sentientes. — 84. Unde cum appellatio sit de minore ad Superiorem Judicem provocatio, stat evidenter, quod Papa sit supra Concilium, et non e contra. — 85. Auctoritas Romani Pontificis supra Concilium est expresse definita a Summis Pontificibus; ad n. 86. — 87. Appellantes ad futurum Concilium Generale damnantur. — 88. De Romani Pontificis auctoritate supra Concilium Generale. — 89. 90. Ex hac Pontificis auctoritate supra Generale Concilium inferitur primo, quod ab ipso nequeat fieri appellatio ad Concilium Generale. — 91. 92. Secundo, quod a Concilio Generali appellari possit ad Romanum Pontificem. — 93. Canones Concilii Oecumenici reliquorum Conciliorum Canonibus auctoritate prevalent.

— 94. Inter Concilia Oecumenica eo major est eorum auctoritas, quo magis ad Oecumenicam Synodum accedunt. — 95. Recens non est, Concilium recipi in rebus fidei, licet non ubique recipiantur omnia ejus ad disciplinam spectantia. — 96. Præsertim per Provincias promulgentur Conciliorum Decreta exteriori disciplinam spectantia examinanda sunt ab iis qui jurisdictioni in illis Provinciis præsunt. — 97. In Conciliis Episcopi sunt Judices. — 98. Unde ex eorum sententiis, sive suffragiis conclusio formanda est. — 99. Concilia etiam Generalia in particularibus factis non revelatis errare possunt. — 100. Concilia præcipue ad stabilendam fidem, et formandos mores congregantur. — 101. Constitutio lata solemniter in Concilio Generali an obliget. — 102. Conciliorum præsertim Generalium Sanctionibus acquiescere nolentes, semper pro hæreticis declarati fuerunt. — 103. Concilii Nationalis auctoritas. — 104. Denominationes Conciliorum Nationalium. — 105. A Patribus Africanis statutum legitur, ut Synodus Nationalis annue haberetur. — 106. Quod postea fuit mitigatum. — 107. Concilium Provinciale auctoritate cedit Conciliis Nationalibus. — 108. Sicuti ipsum præstat Synodis Diocesanis. — 109. 111. An Pontificis prærogativa sit convocandi Concilia. — 112. Quid requiratur ut Concilium Oecumenicum dici possit. — 113. De confirmatione Conciliorum per Romanum Pontificem. — 114. De infallibilitate definitionum Synodorum.

ARTICULUS II. — De his, quæ concernunt Concilium Provinciale.

1. Concilium Provinciale unde dictum. — 2. Concilium Provinciale quid sit. — 3. Indicere, convocare, et celebrare hoc Provinciale Concilium spectat ad Metropolitanum. — 4. Etiam sine auctoritate Primatis, et Patriarchæ. — 5. Hæc Concilii Provincialis convocatio debet fieri a Metropolitanis, seu Archiepiscopo per se ipsum, non autem per Vicarium Generalem. — 6. Metropolitanus autem legitime impedito, convocatio Concilii spectat ad Coepiscopum antiquiorem. — 7. Et sic etiam ad Coepiscopum antiquiorem spectat convocatio Concilii Sede Metropolitana vacante, et non ad Capitulum Metropolitanæ, seu ad ipsum Metropolitanæ Vicarium Capitularem. — 8. Licet enim antiquitus ante Concilium Tridentinum Capitulum Metropolitanæ, Sede vacante, convocaret Concilium Provinciale. — 9. Tamen post Tridentinum cessavit potestas Capituli Metropolitanæ, Sede vacante, celebrandi Concilium Provinciale, ac Suffraganeos convocandi, et demandata est Coepiscopo antiquiori. — 10. Absente, vel impedito, seu mortuo Archiepiscopo convocare Concilium Provinciale spectat ad Episcopum antiquiorem ex Suffraganeis: non autem ad Episcopum exemptum, quamvis antiquiorem. — 11. Ad Concilium Provinciale vocandi sunt, et admittendi omnes Episcopi Suffraganei cum voto decisivo. — 12. Quod locum habet etiam in Episcopo electo, et confirmato, quamvis nondum consecrato. — 13. Et hoc est etiam intelligendum de Episcopis exemptis. — 14. Episcopi tamen exempti, qui sunt in Provincia Romana, non tenentur ad electionem Metropolitanæ. — 15. Ad Concilium Provinciale vocanda sunt de necessitate Capitula Cathedralia Sede Episcopali vacante, et possunt mittere suum Vicarium Capitularem cum speciali mandato dandi vocem decisivam. — 16. Vocanda sunt etiam, sua Sede vacante, Capitula Collegiarum quasi Episcopalem Jurisdictionem habentia. — 17. Abbates, et alii Prælati habentes proprium Territorium, et Jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes intra ambitum ipsius Provinciae, sunt vocandi ad Concilium Provinciale, et in eo habent votum decisivum. — 18. Procuratores Episcoporum, omniumque supradictorum quasi Episcopalem Jurisdictionem habentium, si principalibus legitime impeditis sint cum speciali mandato

deputati ad Concilium, habent votum decisivum, si Concilio placuerit. — 19. Capitula Cathedralium, etiam vivente Episcopo, vocanda sunt, et admittenda, aut eorum Nuncios ad Concilia Provincialia, præsertim ad ea tractanda, quæ spectant ad ipsa Capitula. — 20. Immo Capitula Cathedralium admitti debent ad Concilium Provinciale etiam pro negotiis ipsa Capitula non contingentibus. — 21. Sic etiam Capitula Collegiarum Jurisdictionem quasi Episcopalem habentia, adhuc vivente suo Prælate, vocanda sunt ad Concilia Provincialia. — 22. Ipsa tamen Capitula, sive Cathedralium, sive Collegiarum exemptarum, in Conciliis Provincialibus, adhuc viventibus suis Episcopis, et respective Prælatibus non sunt Coniudices, nec habent votum decisivum, sed solum consultivum. — 23. In Concilio Provinciali omnia gerenda sunt de consilio Capitulum Provinciae. — 24. Sic etiam Abbates Commendatarii in Conciliis Provincialibus habent dumtaxat votum consultivum. — 25. Ad Concilia Provincialia vocari, et intervenire debent generaliter loquendo omnes qui de jure, vel consuetudine intervenire solent. — 26. Sic etiam generaliter loquendo ad Concilia Provincialia accedere possunt pro justitia assequenda omnes qui se gravatos existimant. — 27. Laici autem non permittuntur interesse Conciliis Provincialibus, nisi ad justitiam petendam, vel defendendam. — 28. Omnes, qui de Jure vel consuetudine interesse tenentur Conciliis Provincialibus, si vocati non compareant, cessante legitimo impedimento, puniuntur. — 29. Pœna contra ipsos non interessentes sine legitimo impedimento vel contra illicitos discedentes, est excommunicatio. — 30. Talis vero Excommunicatio privat solummodo communione aliorum Episcoporum usque ad futurum Concilium, non autem Sacramentis. — 31. Poterunt tamen tales non interessentes contumaces insuper a communione fidelium segregari, et aliis pœnis canonicis per Metropolitanum affici, sed prævia trina monitione. — 32. Concilia Provincialia secundum antiquos Canones debebant celebrari bis in anno per singulas Provincias. — 33. Postea tamen in sexta Synodo Universalis talis antiqua Constitutio fuit correctæ, et definitum fuit ut hoc Concilium fieret semel in anno. — 34. Verum, quia neque hoc servabant Metropolitanæ, idcirco in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 10. Constituitur incipient. Regimini antiqua jura fuerunt correctæ, et statutum fuit ut de cætero Concilia Provincialia fierent singulis trienniis. Quod et fuit iterum expresse definitum in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 2. de reformatione. — 35. Metropolitanus possunt quidem intra triennium etiam pluries Synodum convocare, si expediens judicetur, sed ultra triennium protrahere non debent. — 36. Immo Metropolitanus omittens, et negligens celebrare Concilium Provinciale intra triennium subiacet pœnis canonicis, et incurrit pœnam suspensionis a sui executione Officii. — 37. Quæ tamen pœna suspensionis non est lata sententia, sed ferenda; ad n. 59. — 40. Locus eligendus pro congregando Concilio debet esse commodus, quantum fieri potest omnibus qui intervenire debent. — 41. Et electio talis loci pro Concilio Provinciali celebrando spectat ad Archiepiscopum. — 42. Concilium Provinciale postquam in loco indicto est congregatum, solet celebrari per spatium trium, vel quatuor dierum; nec potest ultra hebdomadam protrahi, nisi id exigentibus negotiis imminutibus. — 43. Quædam in Concilio Provinciali Metropolitanus est unius sententia, Suffraganei autem omnes sunt alterius, debet prævalere sententia Suffraganeorum; ad n. 44. — 45. Sententia autem debet nihilominus pronunciari nomine Archiepiscopi de consilio, et consensu Suffraganeorum. — 46. Si vero Archiepiscopus dissentiat pronunciare sententiam ab ipso non approbatam, tunc recurrendum est ad Summum Pontificem. — 47. Concilium Provinciale nequit dissolvi a solo Archiepiscopo sine consilio, et assensu, seu voto Suf-

fraganeorum. — 48. Completo, et dissoluto Concilio Provinciali de communi consensu, tenentur Episcopi infra sex menses publicare in suis Diocesis Conciliaria statuta. — 49. Non debent tamen publicari inconsulto Romano Pontifice. — 50. Debent enim Concilia Provincialia prius recognosci, et approbari a Summo Pontifice, seu a Sacra Congregatione Concilii. — 51. Et de facto sic servat praxis, quod Concilia Provincialia a Sacra Congregatione Concilii approbentur. — 52. Nec tamen per istam approbationem, ipsa Decreta Conciliaria obligant extra Provinciam. — 53. Bene vero obligant omnes subditos Provinciae. — 54. Immo Decreta Conciliaria Provincialia ligant etiam Episcopum Successorem, licet sit elapsus decennium ab ultima Synodo Provinciali. — 55. Non tamen hæc Decreta obligant ad culpam, sed ad pœnam, nisi specialiter ad culpam obligare declaraverit ipsum Concilium. — 56. Conciliorum, et Synodorum celebratio Episcopis efficaciter suadetur.

ARTICULUS III. — Concilium Episcopale, seu Synodus Diocæsana.

1. Synodus ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cætus. — 2. Synodus Diocæsana est celebranda singulis annis ab unoquoque Episcopo in sua Diocesi; potestque celebrari etiam extra Ecclesiam. — 3. Et si necessitas postularet, posset Synodus etiam sæpius in anno celebrari. — 4. Episcopus non celebrans singulis annis Synodum Diocæsanam incurrit pœnas a Jure statutas. — 5. Episcopus duarum civitatum unitarum debet in utraque Diocesi alternative Synodum celebrare; nec Capitulum unius Cathedralis cogi potest, ut accedat ad Synodum alterius. — 6. Afferuntur ad id alia novissima Resolutiones Congregationis Concilii. — 7. Episcopus nondum consecratus, si Bullas expellit, potest Synodum convocare. — 8. Archiepiscopus non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallii. — 9. Synodus Cleri Romani convocari potest ab Eminenti Cardinali Urbis Vicario. — 10. Vicarius Generalis Episcopi absque ejus speciali mandato non potest Synodum convocare. — 11. Vicarius Capitularis, sede vacante, potest, immo debet Synodum congregare. — 12. Abbates, aliique Prælati Episcopo inferiores non possunt congregare Synodum, nisi habeant tria requisita, quæ assignantur. — 13. Episcopus justo aliquo impedimento detentus potest Synodum congregare per alium. — 14. Si in Diocesi sit constitutus Vicarius Apostolicus, ad ipsum solum, et non ad Episcopum spectat congregare Synodum. — 15. Non est ordinarie convocanda Synodus, nisi prius expleta fuerit Visitatio Generalis Diocesis. — 16. Debet autem Synodus fieri ante Visitationem, quando habita non fuit a multo tempore. — 17. Episcopus in convocazione Synodi non tenetur consilium Capituli requirere, nec in aliis actibus preparatoriis. — 18. Alii tamen tenent contrarium. — 19. Episcopus debet in publicatione Decretorum Synodi Capituli consilium exquirere, licet sequi non teneatur. — 20. Requisitio consilii Capituli debet ab Episcopo fieri Capitulo congregato, alias non valeret. — 21. Immo valde expedit, quod dicta requisitio facta Capitulo congregato, registretur in actibus Synodi. — 22. Si Canonici, et Dignitates nolent die ipsis indicta congregari, tunc sufficeret requisitio facta per Edictum. — 23. Et in casu, quo totum Capitulum congregatum contradiceret, vel protestaretur contra Synodum, posset Episcopus, his non obstantibus, ad Synodi celebrationem procedere. — 24. Capitulum Cathedralis debet necessario expresse in specie, et nominatim ad Synodum invitari. — 25. Si autem Canonici, et Capitulum Synodo interesse recusent, cogi possunt ab Episcopo per censuras Ecclesiasticas. — 26. Laici, quamvis sit in facultate Episcopi eos invitare, non tamen possunt de jure prætere quod teneatur eos invitare ad Synodum. — 27. Ad

Synodum accedere tenentur, et admitti debent solum Curati, et Beneficiati, nisi esset consuetudo, quod interveniret totus Clerus. — 28. In casu autem, quod in Synodo agendum sit de reformatione morum, vel de alia re, quæ clerum universum tangat, omnes Presbyteri, et Clerici interesse debent. — 29. Tunc tamen si Episcopus acturus sit super aliquo ex præmissis, debet facere mentionem verbis specificis in Edicto convocationis. — 30. Exempti omnes, qui alias, cessante exemptione, Synodo interesse debent, nec Capitulis Generalibus subduntur, ad eam accedere tenentur. — 31. Omnes Curati, sive sæculares, sive Regulares, tenentur ratione curæ Parochialis accedere ad Synodum, etiamsi Curati Regulares subdantur Capitulis Generalibus. — 32. Synodo interesse tenentur etiam Abbates, alique Superiores Regulares, et Prælati inferiores exempti, si per se ipsos curam Parochialem exerceant; secus autem, si per alium, quia tunc ipsi soli alteri hoc onus incumbit. — 33. Item Synodo interesse tenentur Vicarii, seu Cappellani Religionis Hierosolymitanæ curam animarum habentes. — 34. Item Synodo interesse tenentur Parochi exempti Ecclesiæ Lateranensis. — 35. Rectores Parochialium nullius Diocesis, etiamsi sint Abbates, tenentur accedere ad Synodum illius Episcopi, qui tamquam vicinior potest eos visitare. — 36. Abbates Regulares, Priores, Rectores, Guardiani, alique Superiores parvorum Conventuum, qui subiacentur jurisdictioni Ordinarii, tenentur vocati accedere ad Synodum. — 37. Et si non interveniant, potest Episcopus suo arbitrio illos multare, excepta multa pecuniaria. — 38. Conventus tamen, qui non fuerunt suppressi, et in quibus adest numerus sex Religiosorum, non comprehenduntur sub hac obligatione. — 39. Episcopus potest cogere etiam Clericos subcollectores Apostolicos, ut Synodo intersint. — 40. Episcopus potest juris remediis, etiam per censuras Ecclesiasticas compellere ad interessendum Synodo omnes supradictos obligatos Synodo intervenire. — 41. Et sic etiam juris remediis compelli possunt ab Episcopo ad interessendum Synodo Curati Regulares Parochiarum illorum Conventuum, in quibus Residentiam habent Generales suorum Ordinum, quamvis istæ Parochiæ non subiaceant Visitationi Ordinarii. — 42. In Synodo Diocæsana potest Episcopus facere constitutiones, et Decreta absque consensu, et approbatione Capituli, et Cleri. — 43. Solus Episcopus in Synodo votum decisivum habet. — 44. Decreta tamen, seu constitutiones synodales, antequam usu recipiantur, debent ostendi Capitulo, et aliis interessatis, eisque duorum mensium præligi terminus, ut si se senserint gravatos, recurrere possint ad ipsum Episcopum, vel ad Sedem Apostolicam. — 45. Non tenentur tamen Episcopus Synodum ostendere civitati, vel Laicis, antequam imprimatur, vel promulgetur. — 46. Dum Romæ revidentur Decreta synodalia, non convenit, quod Episcopus procedat ad eorum executionem. — 47. Non tenentur tamen Episcopus ante Synodi publicationem ejus Decreta Romam mittere. — 48. Constitutiones, seu Ordinationes factæ in Synodo sunt perpetuæ, et non expirant morte conditoris. — 49. Constitutiones, seu Ordinationes synodales ligant Clericos, et Laicos Episcopo subjectos. — 50. Tales autem Constitutiones synodales ex defectu auctoritatis non obligant Regulares. — 51. Servanda tamen est Synodus a Regularibus quoad tempus humationis cadaverum. — 52. Item servandæ sunt constitutiones synodales a Regularibus in iis omnibus, quæ concernunt observantiam Sacrorum Canonum, Conciliorum, Pontificiarum constitutionum, et Decretorum S. Congr. — 53. Delenda est pena Excommunicationis in Decreto synodali contra Mores scribentes, vel recipientes Literas, quas Abbatissa non legerit. — 54. Expensis propriis vivere debent Canonici cuncti ad Synodum, et non gravare Capitulum. — 55. Canonici Ecclesiæ Colle-

giatæ cedere debent locum in Synodo Beneficiatis Ecclesiæ Cathedralis. — 56. An Canonici, et Clerici Cathedralis sedere debeant in Synodo ad dexteram, Canonici vero cum Clero Collegiatæ ad sinistram. — 57. Beneficiati tamquam singuli, et vocati ab Episcopo possunt intervenire Synodo, et in loco juxta præscriptum Pontificali. — 58. Adducitur Decisio S. Rit. Congr. in una Spoletana juris sedendi in Synodo pro Collegiatis S. Petri, et Sancti Georgii Civitatis Spoleti cum Capitulo Cathedralis ejusdem civitatis. — 59. Affertur Decisio Sacræ Congregationis Episcoporum in una Senogallien. de duobus Curatis reclamantibus in Synodo adversus illius Decreta. — 60. In fine Synodi non interrogatur Clerus per verba *Placetne vobis*. — 61. Non licet Episcopo cogere etiam multos singulos Presbyteros, et Clericos ad Synodum impressam retinendam. — 62. Ad Synodum Diocæsanam non tenentur adire omnes Canonici Collegiatæ, sed tantum ex his quatuor, nisi adsit legitima consuetudo in contrarium. — 63. Simples Sacerdotes tenentur servire Ecclesiæ Cathedrali diebus Festivis juxta consuetudinem, et constitutiones Synodales. — 64. Decreto synodali prohiberi non potest, ne Regulares celebrent ex Legato in Ecclesiis secularibus. — 65. Synodali Decreto vetari non potest, ne in aliis Ecclesiis exponatur adoranda Reliquia SS. Crucis diebus, quibus exponitur in Cathedrali. — 66. Constitutione synodali, aut alio modo potest ab Episcopis statui, ne Sacerdotes quicunque sive sæculares, sive Regulares officium exorcizandi exerceant sine speciali sua facultate sub penis arbitrio suo imponendis. — 67. Synodalibus constitutionibus tenentur Presbyteri Parochialium S. Joannis Hierosolymitani se conformare quoad omnia Sacramentorum administrationem, et curam animarum concernentia; et etiam ceteri Regulares in iis, quæ respiciunt curam animarum, et Sacramentorum administrationem. — 68. Constitutionibus synodalibus, aliisque Legibus etiam per edicta panditis ab Episcopo sine Capituli consilio, et assensu subicitur idem Capitulum. — 69. Synodus Alexamen. celebrata anno 1759. fuit declarata nulla. — 70. Alia ad rem. *Remissive*. — 71. Concilia Provincialia quolibet triennio; Diocæsana vero Synodis quotannis renovari jubentur a Concilio Tridentino. — 72. Ad Synodorum et Conciliorum celebrationem Archiepiscopos et Episcopos Benedictus XIV. hortatur. — 73. Episcopis, qui ob aliquod impedimentum Synodos congregare nequeant, alii suppetunt modi Dioceses administrandi. — 74. Sola Synodus Generalis insignitur titulo *Sanctæ*. — 75. Ad quam definienda indicatur Synodus Generalis. — 76. Convocatio Diocæsana Synodi pertinet ad potestatem jurisdictionis. — 77. Quo loco congreganda sit. — 78. 84. Si duæ sint Cathedrales æque principaliter unitæ, in qua ex utraque Synodus congregari debeat. — 85. 86. De antiqua et hodierna disciplina congregandi Synodos Provinciales et Diocæsanas. — 87. 88. Benedictus XIV. reprehendit Episcopos, qui ex sola socordia et negligentia Synodum celebrare prætermittunt. — 89. De loco ubi sessiones Synodales haberi solent. — 90. Synodis Generalibus Imperatores et Principes adstiterunt, non ut Judices, sed ut Defensores. — 91. Unde istis discedentibus Synodi auctoritas non minuitur. — 92. Synodis autem Provincialibus Laici cujuscumque Dignitatis intervenire non consueverunt. — 93. Hinc quædam ex his Synodis ob Laicorum potentiam præsentiam reprobata sunt. — 94. Possunt tamen Laici interesse quibusdam circumstantiis concurrentibus. — 95. 96. Quibus exceptis nullus Laicus jus habet interveniendi Synodis Provincialibus. — 97. 98. Possunt tamen Laici interesse Synodis tanquam meri Auditores, seu testes eorum, quæ decernuntur. — 99. Episcopi tamen non nimis faciles se præbeant in Laicis ad Synodum invitandis. — 100. 102. De jure hodie non licet introduci Laicos ad Synodos Diocæsanas. — 105. 105. De loco et tempore denunciationis Synodi celebrandæ. — 106. Synodus Diocæsana triduo absolvitur. — 107. Quænam agenda prima die. — 108. Quænam secunda. — 109. 114. Quænam tertia. — 115. 116. De ordine sedendi in Synodis. — 117. 118. Quænam agenda sint in Synodis. — 119. In Synodis abstinendum est a quocumque verbo, quo videatur reprobari opinio inter Catholicos controversa. — 120. 125. An Synodales Constitutiones, aliæque Sanctiones extra Synodum, consulto Capitulo, latæ, Episcopo moriente, vel Diocesium relinquente, in suo robore durent. — 124. Potest aliquis a Constitutionibus Synodalibus eximi per dispensationem. — 125. A quo Constitutiones Synodi Provincialis relaxari possint. — 126. 128. Constitutionum Synodaliū vires an retardentur per appellationem ad Superiorem. — 129. Cavere debet Episcopus, ne Clericos sub censuris, et multis compellat ad emendum codicem Constitutionum Synodaliū. — 130. Solus Episcopus, vel ejus Delegatus subscribendi jus habet Synodo Diocæsana, solusque ipse in eo votum decisivum habet. — 131. 154. Quinam subscribant Synodo Generali. — 155. Synodo Provinciali subscribunt omnes Provincie Episcopi, uti Judices. — 156. Non autem Capitula, seu Canonici Cathedralium, nec Synodis Provincialibus, nec Diocæsanis. — 157. Synodus Generalis nullam vim obtinet, nisi sit a Summo Pontifice confirmata. — 158. Synodus Provincialis debet recognosci, et approbari a Summo Pontifice. — 159. Non vero obstringit universam Ecclesiam, nisi Pontifex expresse dixerit. — 140. Synodus Diocæsana non oportet, ut Romam mittatur pro revisione et confirmatione, sed sine alterius approbatione vim

legis habet in Diocesi. — 144. In fine Synodorum fieri solent faustæ acclamationes. — 142. 143. De fine Concilii Trident. et confirmatione petenda a Sanctissimo. — 144. 145. Acclamationes Patrum in fine Concilii. — 146. 147. Acclamationes in Concilio Provinciali Mediolanensi sexto. — 148. Acclamationibus de more absolutis Rever. Patres ad Illustriss. Metropolitanum pro osculo pacis accesserunt. — 149. Postea Metropolitanus Synodo solemniter benedixit et Indulgentiam centum dierum concessit. — 150. Post Acclamationes in Conciliis Provincialibus omnes Episcopi accedunt ad osculum pacis a Metropolitano accipiendum. — 151. 152. Etiam in fine Synodorum Diocæsanaum aliquando fieri solent dicte Acclamationes, licet rarius. — 153. 154. Traduntur Acclamationes factæ in fine Synodi Diocæsanae XI. Mediolanensis. — 155. Acclamationes fieri solite in fine Synodi. — 156. Synodus Diocæsana Presbyterium ab antiquis frequenter appellatur; item Concilium civile. — 157. Episcopus causam, cur Synodum non celebravit, debet afferre in visitatione Liminum Apostolorum. — 158. Licet Eminent. Cardinalis Urtis Vicarius Synodum Diocæsana celebrare possit, non tamen tenetur. — 159. Item intelligendum est de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis. — 160. Si Episcopus inconsulto Capitulo novas ediderit Constitutiones, sanare illas poterit S. Concilii Congregatio. — 161. Si Statuta Synodalia etiam populum respiciant, promulganda sunt extra Synodum. — 162. In Belgio sine regio consensu ægre Synodorum publicatio permetteretur; in Gallia vero non tenentur Episcopi literas regias petere. — 163. Alia de Acclamationibus in Synodis Diocæsanis.

ARTICULUS I.

De his quæ concernunt concilium ut sic, et concilium generale.

1. Concilium dicitur a *Con* et *cilium*, quia ibi omnes congregantur, ut conveniant, sicuti cilia oculorum, dum clauduntur, conveniunt, secundum Hug. et Archid. in *cap. Canones n. 1. dist. 15. et Fagnan. in cap. Ex parte 3. de Capellis Monachor. num. 10. Unde in cit. cap. Canones 1. Distinct. 15. sic expresse dicitur: « Cilia enim oculorum sunt; unde qui sibimet dissentiant, non agunt Concilium, quia non consentiunt in unum. . . Concilii vero nomen, » dicit ipsemet Canon, « tractum est ex more Romano; tempore enim, quo causa agebatur, conveniebant omnes in unum, communique intentione tractabant; unde Concilium a communi intentione dictum quasi Consilium; dicitur in l. Literam transeunte. » (2. Sic ut observat Silvester *verb. Concilium numer. 1.* a societate multorum in unum concedentium appellatur. (3. Concilium igitur, quod Græci *Synodum* appellant, quantum ad nostrum propositum, sumitur pro Cœtu, seu pro Conventu Sacerdotum, maxime Episcoporum pro resolvendis rebus Fidei, seu aliis gravioribus Ecclesiæ negotiis, a legitimo Superiore congregatorum. Et Concilium sic appellatum est triplex, scilicet Generale, Provinciale, et Episcopale. (4. Concilium Generale, seu *OEcumenicum* est illud ad quod a Summo Pontifice convocantur omnes Episcopi totius Orbis, ut*

(1) De hæcenus dictis non erit inutile conferre Abbatem Salmon in Tractatu Parisiis edito 1724.

legis habet in Diocesi. — 144. In fine Synodorum fieri solent faustæ acclamationes. — 142. 143. De fine Concilii Trident. et confirmatione petenda a Sanctissimo. — 144. 145. Acclamationes Patrum in fine Concilii. — 146. 147. Acclamationes in Concilio Provinciali Mediolanensi sexto. — 148. Acclamationibus de more absolutis Rever. Patres ad Illustriss. Metropolitanum pro osculo pacis accesserunt. — 149. Postea Metropolitanus Synodo solemniter benedixit et Indulgentiam centum dierum concessit. — 150. Post Acclamationes in Conciliis Provincialibus omnes Episcopi accedunt ad osculum pacis a Metropolitano accipiendum. — 151. 152. Etiam in fine Synodorum Diocæsanaum aliquando fieri solent dicte Acclamationes, licet rarius. — 153. 154. Traduntur Acclamationes factæ in fine Synodi Diocæsanae XI. Mediolanensis. — 155. Acclamationes fieri solite in fine Synodi. — 156. Synodus Diocæsana Presbyterium ab antiquis frequenter appellatur; item Concilium civile. — 157. Episcopus causam, cur Synodum non celebravit, debet afferre in visitatione Liminum Apostolorum. — 158. Licet Eminent. Cardinalis Urtis Vicarius Synodum Diocæsana celebrare possit, non tamen tenetur. — 159. Item intelligendum est de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis. — 160. Si Episcopus inconsulto Capitulo novas ediderit Constitutiones, sanare illas poterit S. Concilii Congregatio. — 161. Si Statuta Synodalia etiam populum respiciant, promulganda sunt extra Synodum. — 162. In Belgio sine regio consensu ægre Synodorum publicatio permetteretur; in Gallia vero non tenentur Episcopi literas regias petere. — 163. Alia de Acclamationibus in Synodis Diocæsanis.

singuli competenter conveniant, nisi canonico impedimento fuerint præpediti; *cap. Placuit, distinct. 18. et cap. Ego 4. de Jurisjurando.* (5. Concilium Provinciale est illud quod congregatur ex Suffraganeis certæ Provincie auctoritate Metropolitanæ ad definiendas causas spirituales illius Provincie, quæ non sunt ex majoribus, Summoque Pontifici reservatis; et nomine Concilii Provincialis venit etiam Concilium Nationale, in quo videlicet omnes Archiepiscopi, et Episcopi certæ Nationis sub uno Primæ, vel Patriarcha conveniunt. (6. Concilium Episcopale (seu Synodus Diocæsana) est illud, quod ob idem motivum, et finem ac Provinciale congregatur auctoritate Episcopi Diocæsani (1).

(7. Concilium Generale absque auctoritate Romani Pontificis celebrari non potest; *cap. Synodum 1. cap. Regula 2. et c. Multis 5. dist. 17. cum similibus; et Const. Pelagii II. incip. Manifesto*, ibi: « Generalem Synodum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari privilegio est tradita; » *Constitut. Leonis IX. incip. Cum ex eo*, ibi: « Nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari. » *Constitut. Pii II. incip. In minoribus*, ibi: « Inter Concilia nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Pontifice, absque ipsius auctoritate convenerit; quia non est corpus Ecclesiæ sine Capite; et omnis ex capite defluit in membra potestas. » *Constitut. Leonis X. incip. Pastor æternus*, in *Concil. Lateranensi sess. 11. tom. 4. Concil. part. 2.*

p. 111. cap. 2. de l'étude des Conciles. (Edit. Barbiell.)